

Letter 614: 13 June [1536], Frankfurt, Capito to Jodocus Neobulus

The autograph original is no longer extant, but there is a copy in TB 9, 137, which is the basis of the edition printed in Olivier Millet, 'La correspondance du réformateur strasbourgeois W.F. Capiton avec Jodocus Neuheller, compagnon de table de Luther (1536–1538),' *Bulletin de la Société de l'Histoire du Protestantisme français* 129.1 (1983): 77–8.

Quod in itinere tecum, mi Iodoce, eius oro memineris. Concordia res est sancta et ecclesiis pernecessaria, quae malis linguis fere interpolatur. Animi nostrorum, etiam Helvetiorum, paucissimis demptis qui ad sectas [...] <sup>1</sup> erga Dominum Doctorem amanter propendunt. Studio enim nostro illius existimatio etiam vulgo inlarescit et inlarescet amplius, concordia illa iam confirmata, quantum ad nos attinet. Verum quod Sathan tranquillitatem ostentatam inficere et labefactare non desinet. Valde metuo imperitos ad calumniam rapturos, quae leviora nondum correctae sunt. Deinde etiam esse apud nostros praefraciores aut etiam subdolos, qui fronte concordiam nobis polliciti, re ipsa discordiam alunt. Huius si quod ad Dominum Doctorem aut etiam ad te scribetur, eius me cumprimis commonefacias. Id rogo per Christum, per salutem ecclesiarum. Senties nos graviter acturos pro concordia et sinceritate doctrinae evangelicae. Nam et magistratus tam rerum publicarum quam Helvetiorum nobis non adversos vel verius obsequentes ad veram in Domino concordiam habemus, nedum ministros meliores.

Haec de publicis, iam de privatis. Ad me per Augustanos amicos mitte quaecumque intra nundinas Francofurdienses istae eduntur dignae lectu, maxime Domini Doctoris et Philippi lucubrationes quae ad pietatem et bonas litteras promovendas facere videntur. Ea re plurimum proderis studio nostro. Nam hactenus dum privilegiis vestri impressores instructi esse ceperunt, nihil eorum emerunt illi, quae hic impressa sunt. Unde absterriti nostri, optima quaeque aut non sunt aemulati impressores nostrates, aut tardius interim aemulantur dum gratiam novitatis exuerint qua imperitiores magis quam utilitate invitantur. Ex quo fit ut nisi ad eruditos, et quidem paucos, quae sunt optima perveniant. Non puto enim in caput ad Corinthios 17, Iohannis et sermonem Christi in monte Domino Lutero tanto spiritu et felicitate scripta in Helvetiam totam venisse, nisi fortassis cuiusque operis unum exemplum ad Bullingerum. Iam dum nostri vobis adnitentibus imprimerent, in tempore amplius 400 per Helvetiam sparsa fuissent. Non enim quaestum mercatorum solum specto, etsi spectem nonnihil, sed magis publica quae flammis sacris quas divino pectore vir Dei eiacularur orbata subinde frigere incipiunt. Mihi crede, ad veram in Domino concordiam nihil est efficacius quam ut libri Domini Doctoris et Philippi terantur. Hanc voluntatem meam adiutes. Scribam, si tantum fuerit otii, Domino Doctori ut opera didactica quibus scripturam exponit Germanica maxime in unum volumen ordinet, et mihi excudendum primum committat. Id oro apud illum efficias. Tum liberaliter benevolentiae responsurus. Iam excuduntur *Loci* Philippi versi in Germanicum per Iustum Ionam. Eius exemplum per mercatores et patronos Augustanos quicquid erogaveris reddam benigne non sine auctario. Meam vicissim operam tibi polliceor. Avexi mecum *Die einfeltig weis zu betten*. Eius libelli exempla non pauca dono mittant notis Helvetiis primoribus. Inde plus emolumenti Christo accedet, plus etiam Domino Doctori existimatio quam ex prolixa mea actione. Non enim verbis solum, sed rebus adiutanda concordia. Vale in Domino et boni consule, beneque utaris literis his ex animo scriptis. Francofordiae, die tertia post Trinitatis, ubi quadriduo haesimus causa huius ecclesiae componendae.

V. Capito tuus.

---

<sup>1</sup> Missing word.

Indica mihi patronorum tuorum Augustanorum nomina ut et ipse illorum amicitiam ambiam, si non habeo, aut adeptam adaugeam tui causa. Nam animo cum te amico prolixissime usus.